



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Rvmoldvs Ep. Mart. 1. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

I V L I V S.

S. RVMOLDVS EP. MART.

1. Iulii.

Quid mirum, ô parentes, si quos
 vobis DEVS tantisper conce-
 dit filios, cum lubet, aufert ite-
 rum? Suum ille repetit, & quas vos in
 Liberis delicias quaritis, amore, si fas
 est dicere, etiam ille deperit. Ita R V-
 M O L D V M Davidis Scotorû Regis
 filium, non nisi precibus extortum, in
 tempore sibi rerum vindicavit, Angelo
 misso, qui juvenem edocuit, quantum
 æternaturæ regna perituris antistarent.
 Quare R V M O L D V S celo jam-
 tum oculos circumferens facile Spon-
 sam, sceptrum patrium & adeo humana
 omnia despexit. Sed & Pontificatum
 Dublinensem, cum patre demortuo ad
 regni gubernacula abstrahere illum Ci-
 ves vellent, fugâ deseruit, iterum ad
 hoc optimo consiliario Angelo usus.
 Hoc tam bono Duce Romam, inde in
 Brabantiam profectus Adoni Comiti
 precibus suis apud DEVM filium im-
 petravit, & hunc ipsum, ut bis se R V-
 M O L D O deberet, aquis haustum in
 vitam restituit. Inter hæc dum tem-
 plum alienâ liberalitate, sed suis curis,
 ædificat, geminæ operæ consilium viri è
 medio

A a 2

medio

medio tollendi ceperunt, opū, quas ingentes penes ipsum credebant, hereditatem paricidio adituri. At tanti sceleris merces fuit nummus tergeminus reperi- tus. Corpus in fluvium abjectū cæleste prodidit lumen, quod omnem ab eo loco noctem fugabat. Extraxere igitur pisces RVMOLDVM mortuum, ingentē tamen vel talem Adoni comiti prædam. *Ex Lippeloo.*

S. EBERHARDVS EP. I. *Julii.*

EBERHARDVS gente Bojus, genere Comes, cum è Collegio Bambergensium Canonorum ad Religiosorum se juvenis transfuisset, à suis inde nolens extractus & in Gallias est amandatus; ut (quod hodie etiam amat fieri) cum veste mores sanctos & sanctiora proposita poneret. Sed non præpotuere Numini amicorū inimica consilia. Redux enim in idem monasterium se abdidit; Biburgensi dein Asceterio, mox etiam Salisburgensi Episcopatu iussus præesse, in miseris, si quisquam alius, pius fuit. Itaque Promum Condom et si seniculum insequi hospitem Biburgo Ratisponam usque compulit, & quem transeunti negaverat, vini haustum deferre: ipse, cum Italianam peteret, agræ mulierculæ equum cecidit, & pedes Apenninum conscendit. Elephantiacorū cum & corpora & animos

CHRIST.